20

DE

TYPHO ABDOMINALI.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE LITTERARIA

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE IV. M. MARTII A. MDCCCXLIII.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

BALDUINUS MOENNIG

RHENANO-BORUSSUS.

OPPONENTIBUS:

ED. DOENHOFF, med. et chir. Dr.

PH. NIEBERDING, med. et chir. Dr.

J. HANGKAMER, med. et chir. Cand.

BEROLINI,

TYPIS NIETACKIANIS.

PATRI

OPTIMO, DILECTISSIMO

J. MOENNIG,

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, MEDICO PRACTICO

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR

Omnium morborum, qui homines vexant, nullus certe medico observanti et curanti majores secum ducit difficultates, quam typhus abdominalis: non quod in decursu ordinario aliquid extraordinarii offerat, sed tam multae tantaeque ejus sunt vicissitudines, ut medici magnam indivisamque postulet animi intentionem, quo minus casus quisquam inexspectate incidens, false judicatus, aegrum subito ad inferos traducat. Quocirca morbum illum aliquid diffusius describere mihi in animo est.

Introitus morbi non est turbulentus, aeger tantummodo de sensu relaxationis omnium membrorum, de lassitudine, capitis obnubilatione, turbatione coenaesthesis, vertigine et titubatione in eundo queritur, ita ut lectum quaeri oporteat. Simul visus est singularis, jamque indifferentiam quandam adversus res externas praebet, appetentia evanescit, lingua modo paullulum muco albido obducta, alvus saepe obstructa. Quod attinet ad febrem, cum rigore incipit, quem mox calor sequitur, qui conti-

nue manet ad finem morbi usque. Cutis arida, urina parca, intense rubra, reactionem acidam praebens, qua ratione grave hujus morbi symptoma diagnosticum offert. Quae omnia signa tempore vespertino exacerbescunt, mane remittunt. Nonnullis diebus post, vulgo die quarto, obstructionem alvi diarrhoea excipit, et tum sedes modo duae, tres, quatuor modo vero decem et plures horis viginti quatuor deponuntur. Regio ileocoecalis manu pressa dolorosa est, simul premendo strepitus singularis provocatur. Eodem tempore symptomata nervosa jam dicta augentur, vertigo fit major, susurrus et tinnitus aurium aegrotum vexant, sensorium magis magisque obnubilatur, aeger in stuporem incidit, modo si quaesiveris de doloribus queritur, calor in dies intensior fit mordax, praecipue in capite et abdominis integumentis, lingua tempore vespertino siccescit. Qui decursus morbi si non turbatur, die septimo plus minus remissio apparet, sensorium liberius, pulsus frequentia diminuitur, calor non est ita magnus, cutis minus arida: quae signa critica activa medicum incautum facile inducere possint ad opinionem, morbum perbenignum fini appropinquare. Haec vero remissio non est aliter censenda, quam ipsa in typho exanthematico petechiali, quo in morbo celeberrimus Hildebrandt eam semper adesse jam observavit, altera vero die a stadio nervoso exquisito excipi. Nihilominus remissio illa semper est symptoma bonum, certe enim vim vitalem non omnino a morbo parasitico oppressam esse indicat. Stadio secundo, quod die octavo incipit,

omnia pathemata sunt majora, sedium numerus augetur, quarum conditio de morbi natura nullam dubitationem admittere potest, si quidem quispiam dubitaret: sunt nimerum ita characteristicae; ut earum inspectio sola decidat. In vitro receptae in duo strata dividuntur, superius clarum serosum, nonnihil coloratum, inferius multum albuminis continet et fibrinam, praeterea massam flocculentam, quae microscopio observata cellulis epithelii, globulis et crystallis parvis (forsitan ex calcaria phosphorica) constituitur. Simul dolor regione ileocoecali idem aut nullus, venter valde elatus, percussio ejus tympanitice resonans. Lingua magis magisque siccescit, casibus gravioribus omnino sicca est, adusta, fissa, tremens; dentes, gingiva, labia, vulgo etiam nares integumento crasso nigro obducta sunt. Pulmones saepe multum, saepe nullo modo patiuntur, et quidem aut bronchitide levi aut pneumonia vera laborant, licet aegroti nihil querantur. Tussis plusminus molesta medico unicum est symptoma, quod investigatione exacta per percussionem et auscultationem opus est ad morbum recte dignoscendum. Hoc loco in praetereundo mihi liceat novae examinandi methodi magnum pretium indigitare: clare enim elucet, hoc in casu sine ea morbum nullo modo cognosci posse; simul autem diagnosin magni momenti esse ad therapiam nemo negabit.

Quocirca medicum sine stethoscopio hominem a typho correptum curare non posse, multi contendunt. Denique ex capitis statu exitus lethalis minatur, nam saepe con-

gestiones ad illud tam vehementes sunt, ut, nisi fortiter aggrediaris, transitum in apoplexiam sanguineam faciant. — Quod ad symptomata spectat nervosa, aegrotus continue supinus jacet, imo ad lectuli partem inferiorem, ad pedes defluit, figura decomposita, oculorum acies opaca, vaga, oculus ipse tantum semiapertus, auditus vulgo difficilis, raro sensibilis, acer: uno verbo, omnia stuporem magnum indicant. Ceterum incommoda hominum miserorum non sunt magna, quippe hoc in statu flebili si quaeris, quomodo se habeant, bene respondent. Quod est naturae aptum, nam ad dolores percipiendos sensorio libero opus est; idem clare apparet in hominibus ab epilepsiae insultu superatis, qui a rebus maximos dolores sanis afferentibus, ut a lacca urente, ne minimum quidem patiuntur, paroxysmo autem praeterito sensorioque libero facto, tum quidem statim a laesione facta non jucunde afficiuntur. Ideo optatum est signum, si morbo decurrente aegroti denuo de doloribus conqueri incipiunt, sensorii enim obnubilationem non ita magnam esse hoc indicat. Eodem modo, quo sensus externi functioni non amplius respondent, sensus internus agere incipit, aegrotus multum delirat praecipue noctu, mox autem morbi conditione ingravescente continue etiam per diem. Deliria sunt blanda, quieta, raro furibunda aegrotus adhuc iis eripi potest, et voce magna de aliqua re rogatus respondet, statim autem denuo delirat. Sed morbus adhuc majorem gradum ascendit, motibus involuntariis, crocidismo, carphologia sese exprimentem, ut etiam paralysi

ani et vesicae sphincterum. Faeces et urina insciis deponuntur, quod quidem phaenomenon raro a paralysi organorum huic excretioni destinatorum pendet; stupor aegroti causa est, ejusdem igitur est rationis cum retentione faecum et urinae, quod etiam saepe hoc in morbo videtur. Miseri irritamento aut statim cedunt, quari solum per motum reflectorium, aut omnino non sentitur ex stupore magno. Qua ex parte observata haec symptomata multum gravitatis amittunt, quae aliis in morbis iis praesentibus nunquam deest. In deglutitione fluida in amphoram vacuam cadere videntur, quod ipsum minime paralysin oesophagi, sed ejus reactionem adversus irritamenta aut minimam aut nullam adesse ostendit.

Signa generalia sunt gravia, febris continua cum exacerbationibus vespertinis, pulsus frequentia numerum centum, centum viginti, imo centum quadraginta attingens, si supra centum viginti, saepissime cum exitu lethali, pulsus ipse parvus, mollis, debilis, cutis calorem mordacem praebens, arida, interdum in sudores viscosos diffluens. Quem ad gradum si morbus ascendit, tum creberrime decubitus magis minusve gravis, aegri ultimas virium reliquias exhauriens, cui aegritudo ipsa forsitan pepercisset, eum orco tradit. Aegroto enim semper supino sito, nervorum vi a malo maligno fracta, non solum partes pressae, praecipue igitur regio sacralis et scapularis, sed tales quoque, quae minime premuntur, uti aures, nares, digiti, ab inflammatione corripiuntur, quae si non optima methodo maximaque cura tractatur, saepe etiam omnem

medici curantis diligentiam contemnens, in gangraenam tristem exitum sumit. Ita modo cutis sola, modo tela cellulosa ipsa, modo musculi quoque ad ossa usque delentur. Quare clare apparet, quum eo venerit, suppurationi copiosissimae aegrum jam valde debilitatum per longum tempus resistere non posse.

Pluribus in casibus dies decimus quartus magnam mutationem in morbi facie secum ducit; quod autem non raro ante diem decimum septimum aut vicesimum primum non est videndum, sed aeque raro dies undecimus jam est dies criticus, licet saepe nonnullis signis crisin die decimo quarto secuturam esse indicat. Tempore igitur dicto cutis tumet, humescit, neque calorem sic injucundum, urentem, pungentem, mordacem manui contrectanti praebet, urina clarior facta colorem fusco-rubrum amittit, ejus reactio loco acidae kalina est, pulsus frequentia diminuitur, sensorium aliquid liberius, vultus vagus, opacus, nihil exprimens, clarior factus splendorem resumit. Non raro quoque levis epistaxis aegrotum magnopere levat, ab haemorrhagiis colliquativis facile distinguenda, quae morbum semper pessumdant, quum illa congestionem magnam cum deliriis et vertigine praegressam tollit, totumque statum emendat. Nunc etiam somnus tranquillus, qui aegrum diu fugerat, eum reficit, initio quidem tantum per aliquot horas deliriis exceptus, pedetentim vero longior factus iis finem imponens. Inductus niger in ore et dentibus refunditur, lingua non amplius sicca et adusta, sed pura humidaque fit, venter mollior ad circuitum

ordinarium reducitur, urina alternatim acida et kalina, mox in dies lucidior facta, a sana non differt.

VARIETATES.

Typhus, si exceperis typhum petechialem, semper est idem, abdominalis, neque vero ubique symptomata abdominalia, ab ulceribus tractus intestinalis producta, omnibus in casibus aeque clare apparent; imo in hac forma quam Frank exquisite febrem nervosam stupidam nominavit, ne ulla quidem morbosae intestinorum affectionis signa adsunt, neque dolor, neque secessus frequentes, loco diarrhoeae saepe alvus est obstructa. Sed subito aut sponte aut arte, id est enemate emolliente vel irritante, promotae sedes crebrae, naturam characteristicam supra descriptam prae se ferentes, alvum reseratam excipiunt, cujus generis duos casus insignes observavi. Postea sectio ileum multis ulceribus obsessum esse docuit. Alio in casu puer sedecim annorum, qui jam per septemdecim dies a morbo hoc terribili decubuerat, symptomatibus neque prementibus neque urgentibus, praecipue secessibus non frequentibus, nisi quam in sano crebrioribus, signis criticis vero die decimo quarto non apparentibus, et quum per nonnullos dies morosiorem alvum obstructam praebuisset, enemate parco et emolliente applicato, statim magna intestinorum haemorrhagia correptus est, a celeri sta-

tus universi pessumdatione comitata. Num fortius argu mentum statui potest, quomodo pueri intestina affecta sint? nonne ulcera irritata cum effectu tam delebili tan tam sanguinis multitudinem evomuerunt? Jam majora assero, non esse omnino febres sic dictas nervosas nis cum affectione tubi intestinalis, qualis in typho offenditur sed ab initio refuto, ut hoc non pertinentes, casus illos quibus aegroti, morbi conditione nimia facta in eos in vehente, omnem reactionem activam subruente opprimen teque, in statum nervosum spurium incidunt, quod phae- nomenon non raro in pulmonum aut pleurae inflamma- tionibus acutissimis cernitur; pulsus tum est celer, fre- quens et parvus, cutis arida, non tumida, lingua sicca mens perturbata, aegri delirant. Hic vero status eo mi- nus est debilitatis signum, quod methodo antiphlogistica acerrima curatus, vulgo mox cunctis symptomatibus ner- vosis quasi decussis, febrem puram inflammatoriam ex inflammatione locali productam se praebet. Sic quoque hominem vidi, qui phthisi pulmonali laborans, illico febri majore corripiebatur: pulsus erat frequens, debilis, cutis calida, lingua sicca, cephalalgia maxima, totius corporis dedolationis sensus, deliria blanda neque minima de pe- ctoris dolore querela. Indagine pulmonum acuta facta diagnosis in fissura parietum cavernae posita est, ita ut saccus pleuriticus cum bronchiis communicaret, eoque modo natus pneumothorax motus illos febriles genuisset, quamvis aegrotus de pulmone nihil quereretur. Morte brevi tempore secuta sectio instituta diagnosin rectam

fuisse docuit. Nonne hoc in casu, inquisitione non cum diligentia necessaria facta, febris illa facile nervosa haberi potuit? Et tamen cadaveris sectio nulla ilei ulcera praebuisset, argumentum sane strenuum, non esse rectum, si dicatur, nullam esse febrem nervosam sine ilei affectione. Et id genus fortasse sunt omnia hujus opinionis adversariorum argumenta.

Sed jam nimis multa de ea re dicta sunt. Quamvis igitur typhus semper sit idem, tamen modo unum modo alterum viscus prae aliis invadit, quo sensu typhum aut esse cerebralem aut pulmonalem aut abdominalem Marcus dicit. Quibus in speciebus signa omnibus communia, supra in morbi symptomatologia nominata, numquam deficiunt, nonnulla vero in singulis alia sunt. Inveniuntur enim aegroti a typho affecti, quibus ab initio alvus nullo modo fluit, immo etiam obstructa est; alias vero omnia symptomata typhosa prae se ferunt, qui status Frankio in epitome de morbis hominum curandis febris nervosa stupida audit. Sed et in typho exquisite abdominali, quum secessibus creberrimis, vehementia, nisi consopitis, brevi mortem adducturis, remediis aptis obviam eas, diarrhoeam non raro ab alvo tantum non obstructa exceptam videbis, ea ratione ut sedes una die obtineat, quae vero ad morbi finem usque signa characteristica jam dicta exhibet.

Cum febri nervosa stupida saepe catarrhus pulmonum conjungitur, qui si in bronchitidem aut pneumoniam veram transit, magnum aliis morbi insidiosi periculis ad-

ditamentum secum ducit, quo in casu duabus affectionibus, quarum altera methodum antiphlogisticam postulat ab altera repudiatam, quae multo magis excitantem flagitat, medicum eodem tempore obviam ire oportet. Complicatio illa etiam in typho abdominali stricte sic dicto medicum vexat.

Neque minoris momenti et multis individuis morbo obrutis mortem adducentes, vehementes illae ad caput congestiones nominandae sunt, quae cum morbo incipiente simul in lucem veniunt, aut serius illo progresso accedunt, symptomata nervosa aeque ac febrilia maxime intendentes, sed alio quoque modo periculosae factae, quia saepe, nisi celeriter et cum energia iis repugnes, hominem miserum cerebri apoplexia occidunt. Aut permanentes sunt, sed tum quoque vesperi magis intensae, aut morbi viribus majore ex parte jam fractis, in paroxysmis in aegrotum ingruentes; immo vero morbo criticis signis jam soluto, quum nullum febris signum amplius premit, aegro ipso et adstantibus necessariis medicum adhuc de providentia loquentem irridentibus, congestiones vehementes illico apparentes facile obitum adducere possunt. Ita Schoenlein puellae cujusdam mentionem fecit, quae die quadragesimo a morbi initio illis in tale apoplexiae periculum adducebatur, ut ei non aliud remedium satis efficax, quam venae jugularis sectio relinqueretur.

Stadio criseos, sed et antea et serius tempore reconvalescentiae parotitis non raro aegroti pathemata au-

get. Queritur de maxillae inferioris motu impedito, de dolore obtuso in ejus articulatione; simul ibi tumor parvus pisi magnitudine, celeriter major factus, sentitur, qui manu pressus magnopere dolet. Tumor in dies augetur et vel bono successu paullatim detumescit evanescitque, vel in casu pejore subito disparet, symptomatibus nervosis ad majorem gradum statim evectis morteque per cerebri paralysin inducta, vel infelicem suppurationis exitum facit, quo facto aeger morbo primario typhoso forsitan fracto, saepe adhuc nonnullis hebdomadibus post ex febri hectica obit. — Sed series malorum, quae singula ipsa miseros homines jam saepe ad inferos deducunt, quo magis typho conjuncta, nondum est finita. Non leve catenae membrum taetra illa typhi cum sanguinis resolutione complicatio exsistit, typhus abdominalis putridus. Per totum morbum nullo die fixo sanguis ater, foetidus fluxu continuo, interdum nullo artis remedio impediendo, infra cutem exsudatur, aut ex naribus et tubo intestinali profluit, et cum latice illo nutriente vita irreparabilis.

DIAGNOSIS.

Initio morbus noster aliquam cum febri gastrica similitudinem ostendit, ita ut cum maxima hominis ab eo affecti noxia methodo illi convenientc, i. e. emeticis et

purgantibus, tractari possit. Sed actiologia, symptomata nervosa jam luculenta, qualia sunt titubatio in eundo, visus obnubilatio, aurium tinnitus, magna dedolatio, ventris regio neque tumida neque manu premente dolorosa; morbo autem provectiore sedes characteristicae dolorque regionis ileocoecalis, status nervosus exquisitus, medicum hujus morbi non ignarum, quo minus fallatur, facile impedient. Quae loco posteriore diximus, intestinorum, tunicae mucosae inflammationem adesse, opinionem aeque refutare mihi videntur. Febris vero pituitosa, quae tanta cum hominum strage inter Monachi incolas furit, interdum etiam Wurceburgi comparet, multo facilius medicum ad permutationem utriusque mali ducere potest; sed praeterquam quod in casibus tam gravibus illius febris, quibus typhus haberi possit, curatio non multum aut potius ne minimum quidem differret, permutatio igitur nullum damnum aegroto afferret, oculorum quidam splendor eximius, faciei illi obtusae stupidae, quae in typho semper observatur, comparatus medicum providum, cum alia re sibi agendum esse, mox docebit. Minime Marco, Wurceburgi instituti clinici praesidi peritissimo, ille faciei splendor febris pituitosae erat gravissimum symptoma diagnosticum.

Pneumoniam inter et typhum diagnosis mihi non difficilis videtur, quamvis unum pro altero non raro haberi notum sit, quum querelae, quod pneumoniae methodo severe antiphlogistica tractatae, tamen characterem nervosum induissent, non sint infrequentes: quo in loco pneu-

moniam non fuisse veram idiopathicam, sed typho primario supervenientem censemus. Symptomata nervosa facile morbum, quis sit, dilucidabunt. Sunt vero illae pulmonis inflammationes non rarae, quibus affecti homines robusti, minime sensiles, nihil de pectoris dolore, sed tantummodo de dedolatione communi querantur, quocirca eas negligant, donec inflammatione ad extremum adaucta et per totum pulmonem extensa, febri, quum leviter adspicias, nervosa asthenica corripiuntur, cujus Frank mentionem jam fecit. Cui si remediis irritantibus obviam ires, non aliud ageres quam si igni oleum affunderes namque apparatus strenue antiphlogisticus solum huic statui pseudo-asthenico medelam afferre potest. Quo in statu medicum arcessitum et id, quod praegressum est et stethoscopium mox de vera affectionis natura certiorem facient. Jam remanet arachnitis, quacum typhus confundi possit, nec non frequenter vere permutatur; immo nonnulli autores nullam inter utrumque morbum esse differentiam asseruerunt. Sed arachnitis illico et maxima cum vehementia ingruit, ab initio deliria secum ducens, quae quidem ut in typho sunt blanda et muscitantia, statim vero, neque ut in illo post aliquot dies, ad majorem gradum progressa aegrotum vexant. Capitis dolores sunt trahentes, pungentes, urentes, ita ut aegri saepe in magnum ejulatum erumpant, pupilla est contracta, angusta, oculorum adversus lucem tanta sensilitas, ut eos semper clausos habeant, nequi nisi loco obscuriore aperiant: quae symptomata homines a typho correpti numquam

praebent, capitis affectio multo magis gravitatis et obnubilationis sensus est, pupilla hominis sani, nulla photophobia. Sopor ad arachnitidem accedens proximae mortis est signum, indicat scilicet, morbum in lymphae exsudationem exitum infelicem fecisse. — Si typhus est exquisite abdominalis cum sedibus frequentibus, ventre tumido manu premente dolóres exhibente, diagnosis multo minus difficilis est facta.

EXITUS MORBI.

Jam ad morbi exitus describendos nos cingamus, qui sunt multi diversissimique. De sanitate morbum superveniente, de haemorrhagiis criticis, parotitide, congestionibus et gangraena diffusius jam dictum est: nihil igitur aliud nobis restat, quam aliquid de mali exitu tristissimo, sc. de morte et de sanitate partiali sequente disserère. Ad morbos secundarios praeter jam dictos pertinet quoque otorrhoea, quam si non recte aggrediaris, facile caries ossis petrosi, tum inflammatio cerebri cum exsudatione purulenta, eoque modo adhuc annis duobus post mors sequitur. Quomodo vero typhus metastasibus tam tristibus corporis partes animales invadit, ita ipsius animae functiones non intactas relinquit: namque non ita raro accidit, ut corporis sanitate prorsus recuperata ingenium omnino debile remaneat, cujus aut omnes functio-

nes deletae, ut homines miseri per totam vitam ineptos, fatuos se praebeant, aut tantum singulae laesae sunt, uti inprimis memoria, quo facto saepe aegroti omnium, quae antea bene noverunt, obliti quasi pueruli ut denuo discant coguntur. Quod ad sensus pertinet externos, oculi amaurosis, aurium surditas saepius jam visae sunt. Epilepsiam, hysterismum, hypochondriam aliaque typhum secuta esse, omnes autores affirmant. — Mors hoc in morbo vario modo, sc. systematis nervosi paralysi, aut ex nimia vitae debilitate a morbi decursu vehemente inducta, aut ex malis secundariis evadit. Quando aegrotus intra primam hebdomadem obit, vulgo cerebri paralysis est causa: sopor tum est maximus, deliria sunt blanda quidem, sed continua, diuturna; sphincteres functioni suae desunt, aeger tali modo affectus ad pedes defluit, interrogatus quomodo se habeat, aut nihil respondet, aut loquela ejus jam est mutata, ut intelligi nequeat. His symptomatis urgentibus mors subito omnibus pathematis finem ponit. Accidit mihi, ut talem casum rarum observarem, quo quarto jam die a morbo incipiente omnia, quae dixi, paralysis imminentis signa tali modo se obtulerunt, ut fortissima remedia irritantia, qualia sunt aether sulphuricus, camphora, phosphorus, magna vesicantia ad pedes etc. ad interitum celerem arcendum necessaria haberentur, etsi alias remedia excitantia hujus morbi initio adhibita maxime nocere inter omnes constat. Huic aegroto jure illa administrata esse, bonus successus ostendit, nempe postero die periculum multo minus pressit. Multo frequen-

tius exitus lethalis ex systematis nervosi gangliaris paralysi provocatur, et tum quidem maxime hebdomade secunda, hoc praecipue tempore, quo natura crisibus morbum solvere studet: quod naturae opus quum numquam sine febris exacerbatione momentanea obtineat, saepissime per eam viribus fractis non tolerandam diem fatalem adducit. Quibus omnibus vicissitudinibus bene superatis, nondum omne periculum est sublatum, febris hectica enim ex magno decubitu aut parotitide, quae exitum cepit in suppurationem, orta nonnullos adhuc ad orcum deducit, qua eadem de causa phthisis intestinalis morbum sequens tam periculosa est. Rejectis exanthematis, escharis gangraenosis, partes subjectas semper esse exulceratas et pus secernere inter omnes constat; quae ulcera ad sanationem non adducta phthisin nominatam constituunt. Cognoscitur autem status ille periculosus ex sequentibus: abdomen tensum et elatum remanet, imprimis regio ileocoecalis, sedes modo naturales, quales sanis obtinent, modo tenues et materiam saniosam continentes; flatus molesti aegrotum multum vexant, symptomata febrilia augentur, febris nervosa lenta, postremo mors sequitur.

SECTIO PATHOLOGICA.

Jam ex nomine morbi nostri elucet, maximas mutationes in tubo intestinali quaerendas esse. Ad septimum

diem usque infra tunicam mucosam, praecipue in glandulis Peyeri, vel potius in organis sic nominatis, in inferiore parte ilei, mesenterii insertioni opposita, corpora nova aliena fungosa invenies, excrescentiis similia, quae in ulceribus fistulosis nascuntur. Fungi molles, rubri, multum sanguinis continentes, saepe quasi petiolati, membranam mucosam elevant, ita ut aspectum tuberculorum habeant. Die septimo, undecimo aut serius tunica mucosa emollita perforatur, fungus nudus in ileum ingreditur, et saepe magnam sanguinis copiam effundit. Postea fungus vitam amittens gangraenescit, coloris est fusci, nigri, expellitur a partibus vivis et tum loco tuberculorum ulcera parva infundibuliformia invenies, quorum plura jam sunt sanata, ut solum cicatrices relinquantur. Glandula meseraicae ipsae saepe tumefactae, cum massa aliena lardacea in ipsis deposita, quin immo emollitae reperiuntur et pus includunt. Quarum glandularum mutatio principalis causa esse videtur, quod homines ex typho reconvalescentes tam diu digestione depravata laborant, neque vires pristinas regenerare possunt. Haec sunt phaenomena cadaveribus eorum, quibus typhus interitum attulit, characteristica; alia multa sunt secundaria, velut cerebri sanguinis impletio, pulmonis hepatisatio, gangraena in regione dorsali, destructio cariosa ossis petrosi post abscessum auris etc.

AETIOLOGIA.

Modus, quo typhus oritur, est duplex, aut per miasma, quod est sine dubio frequentissimum, aut quod est rarus, per contagium. Causa praedisponens morbi gignendi in aetate juvenili a septimo decimo anno ad trigesimum quintum usque invenitur, quamvis omnium aetatum homines ab illa petantur. Qui morbum jam superaverunt raro altera vice in eum incidunt. Quod ad generationem spectat spontaneam per miasma, regio inferius sita, plana, ideo ad fluviorum ripas, prope ostium, ubi eorum descensus est parvus, constitutio aëris humida, nebulosa, domicilium tenebrosum, opacum, infra terrae superficiem, aut in aedibus recens aedificatis, uno verbo, omnia illa momenta, quae febrem intermittentem provocare omnibus notum est, morbi origini maxime favent. Quocirca mirum esse non potest, regiones illas, ubi febres intermittentes endemice regnant, saepius quoque a typhi epidemia vexari; immo non ita raro, quum febris dicta aliquot insultus fecerit, charactere mutato interdum in febrem continuam nervosam transire.

Ut unum tantum afferam exemplum: in Hollandia, sicut in provincia Borussica Rhenana inferiore ei propinqua, febres intermittentes dirum regnum suum exercent, atque in iisdem civitatibus febres ab indigenis sic dictae nervosae tantum non quotannis magna cum homi-

num strage grassantur. Altera generatio per contagium fit, licet multi autores id concedere nolint, sed hi certe non multas epidemias observarunt; in regionibus, quibus typhus morbus est prorsus indigenus, quisquis rudis iis dicet, morbum ab uno ad alterum transire. Res enim est omnino vulgaris, eum qui praecipue aegrotum curet adsideatque, saepe in eandem aegritudinem incidere, alios vero in iisdem aedibus habitantes, iisdemque rebus externis expositos, liberos manere. Materia contagiosa in vaporibus per exhalationem emissis, sicut in alvi excretis, imprimis contineri videtur.

PROGNOSIS.

Typhus jure morbis periculosissimis adnumeratur; clades quam efficit non est minor, quamquae peste fit orientali, cujus infantem Haeser illum nominat in exquisitionibus pathologicis epidemiarum. Secundum hunc autorem typhus abdominalis nihil aliud est quam typhus petechialis tempore et constitutione mutatus; illum vero ortum ex peste ducere incepit. Sed hoc sit utut velit, certum est, omnino tertiam partem hominum a morbo nostro affectorum succumbere, modo plures ad dimidiam partem usque, modo pauciores. Prognosis maxime ad symptomata abdominalia dirigenda est: quo vehementiora, intensiora haec sunt, eo illa pejor. Stadium morbi (ini-

tio enim saepe cura apta totus decursus mitior fieri potest), regularitas singulorum stadiorum se excipientium, complicationes, symptomata nervosa medici judicium constituunt; urina quo magis est atra, saturata, acida, quo celerius in putredinem abit, eo majus est periculum. Si pulsus plus centum et viginti ictus facit, illamque frequentiam in remissione ipsa matutina retinet, de salute paene est desperandum. Quum nonnulla signa bona apparent, simul vero unum symptoma malum accedit, prognosis multo magis mala quam bona reddenda est. Ceterum nunquam prognosin prorsus bonam ponas, nam morbus est maxime malignus, neque ei confidendum, donec omnino profligatus est.

THERAPIA.

Multum est disputatum, utrum typhus abdominalis abbreviari, in partu quasi suffocari possit, an modo exanthematum sit fixus ejus decursus, neque sine periculo turbetur. Quod nunc eo determinari videtur; principio morbi, antequam formationes parasiticae in ileo appareant, primis nempe quatuor diebus, quum aegroti nondum diarrhoea laborant, medico abbreviationis periculum facere licere, et quidem per magnas doses calomelanos secundum scholam Tubingensem, quinque et decem granis mane et vespere porrectis. Alii solum duo aut tria

grana pro dosi porrigi volunt, cum succo citri aliove acido vegetabili, alternatim per binas horas cochlear unum deglutiendo: quae dosium differentia non magni momenti esse videtur: utroque modo enim hepatis secretio et sedes sic dictae calomelanae intenduntur. Multi vero per totum morbi decursum calomel omnium remediorum principatum tenere, neque sedium numerum augere, sed potius diminuere contendunt. Schoenlein illi medicamento non multum confidere videtur: typhus, quum semel inceperit, secundum eum actio pathica est, quae decursum fixum septimanarum duarum, trium aut quatuor facit, neque medicamentis fortibus tractanda est, sed potius aequali modo cum exanthematibus, id est symptomatice contra phaenomena secundária directo, maxima crisium ratione habita. Quum morbus est simplex sine signis urgentibus, curatio aeque simplex sit, emulsio arabica, saturatio communis similiaque omnibus indicationibus satisfaciunt, aegrotus multum aquae frigidae bibat et in cubiculo vasto aëri pervio jaceat. Postea emulsioni aqua oxymuriatica addatur. Si dolor in regione ileocoecali magnus est, nonnullae sanguisugae aut cucurbitulae cruentae emolumento sunt, medicus vero cautus sit in sanguine mittendo, morbus nimirum satis ad statum adynamicum inclinat. Fomentationes emollientes aut cataplasmata omni modo minus periculosa sunt. Victus ratio sit antiphlogistica. Stadio secundo si diarrhoea minus urget (duae, tres sedes horis viginti quatuor sunt morbi naturae congruae), medicamenta sint eadem; sin vero alvi

profluvium est magnum, decoctum radicis columbo, cascarillae, alumen taliaque indicata sunt; maximam vero utilitatem clysmata ex solutione amyli cum tinctura opii, aceto saturnino et argento nitrico unciis paucis parant. Alvi obstructionem numquam remediis internis, sed solummodo enematibus aggredi licet. Abdomine valde tumefacto, tympanitice tenso fomentationes ex oleo terebinthinae magnum effectum habere videntur. Congestionibus vehementibus epithemata frigida in capite raso imprimis cum vesicis glacie impletis, et si illa non sufficiunt, superfusiones frigidae optime opponuntur, quae quidem pulmoni aegre affecto periculosae sunt, etsi tum quoque cum bono successu eas adhibitas vidi. Quae quum ita sint, vesicantia vel sinapismi suris applicati multum conferunt ad derivationem. Tempore crisium appropinquante, lenia excitantia, qualia sunt valeriana, arnica, liquor ammonii acetici, superfusiones calidae, crises bene promovent. Quando morbus sine signis criticis in tertiam hebdomadem transit, vires aegroti debilitatae saepe infuso chinae victuque nutriente restaurandae sunt. In convalescentia fames non raro permagna est, quare ne voracitate inducti ventriculum nimis impleant et sic denuo in morbum pristinum incidant maxime cavendum est. Neque minorem rationem eorum lascivia postulat.

Bronchitidi aut pneumoniae ad typhum accedenti primo stadio methodum antiphlogisticam opponas, sed nonnisi maxima necessitate coactus venaesectionem facias; stadio secundo infrictiones in pectore cum unguento mer-

curiali et linimento volatili, vesicantia ipsa saepe profuerunt. Interna medicamenta indicationibus morbi generalibus adversa esse non debent, exempli gratia ammonii praeparata.

Laryngitidem aequali cura aggrediaris. — Parotitis. Quum prima illius symptomata appareant, nonnullae sanguisugae in loco affecto, infrictiones dictae, epithemata calida, sicca, fortasse in partu eam extinguunt; sin minus abscessus mox aperiendus est, ne pus ad loca alia migret.

Decubitus. Ejus prodromi medicum eo animum intendere jubent, ne locus affectus prematur; lotiones cum spiritu vini et aceto aromatico magno tum sunt emolumento.

Sin vero cutis aut telae cellulosae destructio jam adest, unguentum simplex, solutio aceti saturnini, decoctum quercus cum aceto saturnino, acidum pyrolignosum sanationem promovere possunt.

Sanguinis profluviis colliquativis optime lotiones corporis cum aceto vini, epithemata frigida in capite, enemata cum aceto: si ex superioribus, cum solutione amyli et tinctura opii, si ex inferioribus partibus sive intestino ipso sanguis profluit, interne acida mineralia opponas.

VITA.

Natus sum ego Balduinus Moennig, Reesensis, Borussus Rhenanus, mense majo MDCCCXX. matre Henrietta e gente Stuckmann, patre Josepho Moennig, quos adhuc vivos summa pietate veneror. Fidei catholicae addictus sum. Primis litterarum elementis imbutus, gymnasium Vesaliense per quinque annos frequentavi. Tum testimonio maturitatis instructus, autumno anni MDCCCXXXVII., Coloniis per annum unum stipendia meritus, tempore paschali anni MDCCCXXXIX. almam petii universitatem Heidelbergensem, ibique a rectore magnifico Cl. Muncke in civium academicorum numerum receptus sum. Quibus per unum semestre lectionibus interfui, hae sunt:

Logica et psychologia Cl. Reichlin. Meldegg,

physica experimentalis Cl. Jolly, botanice Cl. Bischoff, osteologia Cl. Kobelt.

Deinde Wurceburgum me contuli, ubi a rectore magnifico Ill. Schahl civium academicorum numero adscriptus, nomen dedi decano spectatissimo Ill. d'Outrepont. Per duos annos hisce doctissimorum virorum interfui scholis:

Mineralogiae, chemiae et materiae medicae Cl. Rumpf, zoologiae Cl. Leiblein, anatomiae humanae et comparatae Cl. Muenz, physiologiae Cl. Hensler, pathologiae et therapiae generali Cl. Narr; chirurgiae, akiurgiae et doctrinae de morbis oculorum, de instrumentis et de fasciis rite adligandis Cl. Textor; pathologiae et therapiae speciali Cl. Marcus, arti obstetriciae Ill. d'Outrepont, qui idem dux mihi fuit in exercitationibus in phantomate instituendis. In cadaveribus secandis dux mihi fuit Cl. Muenz.

Autumno anni MDCCCXLI. Berolinum petii et a rectore magnifico Ill. Dieterici in numerum civium academicorum receptus, nomen dedi decano maxime spectabili Ill. Juengken. Lectioni ibi interfui de anatomia pathologica Ill. Mueller. In practicis exercitationibus mihi fuere duces et sunt: Cl. Wolff, Cl. Truestedt, Ill. Juengken, Cl. Barez, Ill. Schoenlein, Ill. Dieffenbach, Ill. Busch.

Quibus omnibus viris, de me optime meritis, gratias, quas verbis persolvere haud valeo, in sempiternum habebo maximas.

Jam tentaminibus, tam philosophico quam medico, nec non examine rigoroso superatis, spero fore, ut, dissertatione et thesibus rite defensis, summi in medicina et chirurgia honores mihi tribuantur.

THESES.

1. Foetus se ipsum gignit.
2. In versione in pedes plerumque unus tantum pes inducendus est.
3. Solum cor auctor pulsus.
4. Cura localis summum therapiae.
5. Pulsus debilis non semper vetat venaesectionem.